

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Huswedel

**Programma Quo ProRector Universitatis Rostochiensis, Joannes Huswedelius,  
Phil. Pract. Prof. Ad Exequias quas ... Wendalae Korffs/ maritus moestissimus ...  
paratas cupid, Omnes & singulos omnium ordinum cives Academicos serio  
hortatur**

Rostochii: Kilius, 1638

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771569890>

Druck    Freier  Zugang




H v s w e d e l , J .  
in  
**W. K o r f f ,**  
**uxor. J. Kleinschmidt.**

Rostock, 1638.







PROGRAMMA  
Quo  
ProRector Universitatis Rosto-  
chiensis,  
**JOANNES HVSVVE-**  
**DELIUS**, Phil. Pract. Prof.  
**AD EXEQVIAS**  
quas  
**HONESTISSIMÆ MATRONÆ**  
**WENDALÆ Rorffs/**  
maritus moestissimus,  
Hodie hora prima in templo Mariano  
paratas cupit,  
Omnes & singulos omnium ordinum cives Aca-  
demicos serio hortatur.



**ROSTOCHII,**  
Litteris NICOLAI KILII, Acad. Typograph.

**ANNO MDCXXXVIII.**



Vamvis Thucydides Historicus & Philosophus insignis judicaverit probæ mulieris notam esse & primam laudem, si foris quam minimus de ea sit sermo, vel in bonam, vel in malam partem: quasi vero ut corpus, ita famam quoq; bonæ mulieris domi inclusam esse, neq; in publicum exire oporteat. Alijs vero & in ijs Plutarcho post Gorgiam illum Leontinum rectius videtur, mulieris ut fama, non autem forma plurimis nota sit. Cui opinioni congruit Lex Romana, quæ mulieres itidem, ut viros post mortem publicè laudari pro merito ac dignitate præcepit. Nec certè Lex ea ratione caret. Quidni enim idem honos tribuatur, mulieri bene meritæ, qui viro? nec solum propter defunctas, ne sua laude careant, lex ea lata censebitur, sed propter superstites, ut istius laudis consequendæ amore, virtuti studeant, quæ laudem istam sibi debitam postulant. Neq; enim vel sexus, vel ratio, vel ingenium, vel ulla causa est quæ hunc sexum à studio virtutis abstinere possit. Licet enim admilitiam ineptæ, utinam ipsi quoq; viri ad rem adeo perniciosa essent ineptiores ac tardiores: tamen fortitudinis laudem ijs denegare non possumus, quæ ejus virtutis exemplo ipsis quoq; viris præverunt. Exempla Amazonum improbamus, & haud scio

an

an probandæ sint, quæ sub Claudio II, ex Gothis  
virili habitu ornatæ & fortiter pugnando captæ  
sunt. Annon legimus existisse, quæ patriam &  
populum suum à Tyrannorum violentia libera-  
runt ? quæ principes suos ab Idolatria , ad ve-  
rum Dei cultum vocarunt ac perduxerunt ? Ne  
eruditis quidem suam laudem invidere possu-  
mus, quæ hactenus viris non cesserunt, lingua-  
rum peritia , & Philosophia : quæ pietatem insi-  
gniter coluerunt, quæ castitatem , modestiam,  
temperantiam , amorem erga viros conjugalem,  
erga liberos maternum , erga pauperes liberalita-  
tem, erga propinquos fidem , candorem, sinceri-  
tatem , constantiam certè sua , & optimo jure de-  
bita laude, privari non debent : Nec certè æ quo  
animo ferre possumus, aut debemus, ut hac in par-  
te prophani nobis antecellant , qui muliebrium  
virtutum exempla posteritati commendarunt, ut  
& suam illis laudem tribuerent, & alias ad harum  
imitationem invitarent. Materiam & occasio-  
nem debitæ laudationis præbet nobis Matronæ  
pietatis, probitatis, candoris & modestiæ exem-  
plum dignum quod imitentur, quæ Deo, quæ  
marito, quæ liberis, quæ proximis pietatem ac pro-  
bitatem suam probare student. Ea est WENDALA  
Korfes / nata hac in urbe Anno Millesimo Sexen-  
tesimo secundo , ex ijsdem, parentibus, quibus

A 2

fra-

frater ejus, nuper defunctus CHRISTIANUS, pa-  
tre nimirum Consule Viro Ampliss. & Prudentiss.  
DN. M. JOHANNE Korff/ matre ANNA Kraswels/  
matrona honestissima, Cæteros majores denuo  
recensere quid attinet, cum satis superq; ipsa ha-  
beat unde commendetur. Inter prima est Rege-  
neratio, qua ad societatem Ecclesiæ, & hæredita-  
tem regni cœlestis ac beatitudinis æternæ recepta  
est, per Servatorem & Redemptorem nostrum J E-  
su M C H R I S T U M. Hujus illa regenerationis me-  
moriā, usum, & efficaciam ita exercuit, ut pau-  
latim vita ipsa & moribus doceret, se Christum in  
Baptismo induisse, & cum eodem nunc in vitæ  
novitate ambulare. Quæ ergo virtutes noverat  
Christianæ virginī convenire, ijs ita dedita erat, ut  
fugam contrariorum vitiorum majore virtutis,  
& studio, quotidianoq; exercitio satis declara-  
ret. Quæ enim pietatis exercitia non obibat se-  
dulò? cum & statim horis ac diebus, sacris concio-  
nibus, operam daret, precibus Deo parentes & quoq;  
vis proximos commendaret, misericordiam erga  
pauperes exercebat, condolentiam erga afflictos  
declararet, nihil omitteret omnium, quæ pietati  
convenire putaret. Pietati adjungebat mode-  
stiam, temperantiam & castitatem; quibus virtu-  
tibus quæ deditæ sunt, facile spernunt lasciviam,  
levitatem, pecculantiam, luxum, superbiam, quip-  
pe

pe quas nōverunt cum vera pietate constare mi-  
nimum posse. Quomodo enim Deo & filio ejus  
Redemptori nostro placeat, quæ lascivit, quæ lu-  
xuriatur, quæ superbit, quæ alias levitates in vul-  
tu, gestu, vestibus, moribus exerceat? Sed hæc vitia  
quibusdam in locis jam fere in mores abierunt, &  
pro seculi conditione, cui non possit non præsta-  
ri obsequium, excusantur: cum tamen neq; for-  
ma, neq; divitiæ, neq; externa morum elegantia,  
aliæq; dotes, sine castitate, & modestia ne ullam  
ornent, dedecorent potius, quam ornent possi-  
dentem. Hoc enim ipsum est, quod Xenocrates di-  
cebat, quod castitas & modestia huic sexui pro-  
prium sit elementum & locus, in quo suum decus  
ostendant, velut aqua piscium, aëri avium: quo si  
destituantur, nihil restat, quo se commendare pos-  
sint; si Lucretiæ eredimus, quæ hanc suam sen-  
tentiam, sanguine testatam & ipsa morte conser-  
vavit. Quid memorentur aliæ virtutes, quas ex  
hoc statu ad conjugalem, hæc beate defuncta  
transfusit. Anno Millesimo sexcentesimo vigesi-  
mo, die tertio decimo in matrimonium data est  
Dn. JOACHIMO Kleinschmidt / Viro Amplissi-  
mo & Prudentissimo hujus Reip. Senatori, quam  
ita ingressa est, ita coluit, ut facile appareret bene-  
natam, benè educatam hoc agere, ut quæ fuerat,  
castitate & modestia virgo ornatissima, ea mulier

A 3

esse

¶ Et sui ordinis ornamen tum eximum. Quam enim fideliter amavit maritum, quam obsequiosa nutum illius observavit, quam sedulò curas domesticas obivit: Testantur id liberi masculi quidem tres PETRUS, JOHANNES, & JOACHIMUS, foemellæ quinq; ANNA, WENDALA, MARGARETHA, CATHARINA, DOROTHEA, omnes Dei gratia superstites, & patri viduo, hoc dulcissimæ conjugis obitu moestissimo, qui cum eas adspicit, modo occasionē doloris & luctus ex matris amissæ desiderio capit, modo aliquam doloris ac luctus levationem, quod succisa arbore fructus ramen ex ea dulcissimos decerptos adspicit. Et perhibent quidē testimoniu[m] desideratissimæ parenti eo locupletius, quo majora in se maternarū virtutū semina & indicia ostendunt: & hoc ipsum testimonium, cæteri domestici, imo & externi, quibus cum hac matrona intercessit notitia, confirmant abunde. Celebrant immortali laude conjuges, qui nunquam inter se in gratiam redijisse perhibentur: imo nullis unquam simultatibus & offensis inter se læsi, hoc remedio opus non habebant. Nec hi sane conjuges eo unquam opus habuerunt. Hæc ergo amoris constantia, hæc obsequii prompti assiduitas, hæc rei familiaris cura nunquam intermissa, non potuit maritum non afficere, & summo gaudio, & nunc desiderium sui  
vehet.

vehementissimum, & liberis exemplum tota vita  
imitandum relinquere. Sed ut res nullæ huma-  
næ perpetuæ sunt, ita hæc quoq; lætitia turbari  
coepit febri continua, & quidem ardenti, quæ  
hanc matronam è vita sustulit, senseritne initia  
futuri morbi, annon, in dubio est, cum octiduo  
antequam eo tentari coepit evidenter, propria-  
tis & religionis usu ad sacram Synaxin accessit,  
& quasi jam tum se ad futuram peregrinationem,  
& ex hac vita discessum præpararet, isto fidelis ani-  
mæ cibo & viatico instruxta est. Nihil igitur cu-  
ctandum rata iter cepit ingredi ad immortalita-  
tem, & ad eam, quasi in portu navigans die 29. Mar-  
tij pervenit, initio istius diei inter horam, 1. & 2.  
quo hunc mundo valedixit, & in coelestem se hea-  
titudinem recepit, sine lucta, sine dolore, sine  
mortu quæsi placido somno consopita. Nullum  
dubium est, quin & ipsa diutius, non quidem hu-  
jus seculi amore, ac ærumnosæ vitæ desiderio, in  
hac vita lubens mansisset, sed ut marito carissimo,  
& liberis carissimis conjugali auxilio & consilio; his  
vero etiam cura & ope materna adesse, & præesse  
potuisset. Verum quia videbat, non sine Dei, & pa-  
tris providentia hoc negotium geri, ideo id opti-  
mo consilio geri arbitrata est, quod paterno ipsius  
Dei consilio gereretur, & ad vitam immortalem  
iter aperiret. Salutaris igitur hæc ei migratio est:

Mari-

Marito autem , & liberis, quam luctuosa sit, facile  
colliget, qui, quid sit amor conjugalis, novit, qui  
sic liberorum erga matrem optimam affectus. Ve-  
rum & his & illi Deus Opt. Max. consolator, & pa-  
racletus non plus imponet oneris , quam portare  
possint, & qui vulnus tam grande, tam luctuosum  
inflixit, commode medicinam faciet. Nos vero,  
Cives Academici, quid aliud faciemus , quam  
quod moestissimi vidui dolor postulat, quod Ma-  
gnifici Domini Rectoris merita à nobis flagitant,  
quod officij nostri esse ultrò agnoscimus ac profi-  
temur.<sup>10</sup> Ille ex eo ordine est, quem jure venera-  
mur, & respicimus, & ob hospitium, quod præbe-  
tur, & ob patrocinium quod sua ex parte præsta-  
tur; Ille frater vidui dolentis & afflicti, germanus,  
sibi præstitum arbitrabitur. Nostri vero officij  
quid sit, nemo nisi ingratus ( quem titulum quis  
merito sibi tribui patiatur? ) ignoraverit, nisi im-  
modestus & inobediens detrectaverit. Convenia-  
mus ergo frequentes in templo Mariano ad ho-  
ram primam, & exsequias Matronæ ad exemplum  
pietatis & probitatis natæ eamus mortalitatem  
nostram considerantes ac Deo salutem Provin-  
ciæ, Academiæ, Civitatis commendantes. P.P.  
Rostochij 4. April. 1638. Sub Sigillo  
Rectoratus.







Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn771569890/phys\\_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771569890/phys_0015)

**DFG**



pe quas nōverunt cūm verā pietate  
nimū posse. Quomodo enim De  
Redēptori nōstro placeat, quā la  
xuriatur, quā superbit, quā alias le  
tu, gestu, vestibus, morib⁹ exerceat?  
quibusdam in locis jam fere in more  
pro seculi conditione, cui nō possi  
ri obsequium, excusantur: cūm ta  
ma, neq; divitiæ, neq; extēra mori  
aliæq; dotes, sine castitate, & mod  
orment, dedecorent potius, quam  
dement. Hoc enim ipsum est, quod X  
cebat, quod castitas & modestia hu  
prīum sit elementum & locus, in quo  
ostendant, velut aqua pīscium, aēr a  
destituantur, nihil restat, quo se com  
sint; si Lucretiæ eredimus, quā ha  
tentiam, sanguine testatam & ipsa n  
vavit. Quid memorentur aliæ virt  
hoc statu ad conjugalem, hæc be  
translulit. Anno Millesimo sexcent  
mo, die tertio decimo in matrimo  
Dn. JOACHIMO Kleinschmidt / V  
mo & Prudentissimo hujus Reip. Sen  
ita ingressa est, ita coluit, ut facile ap  
natam, benē educatam hoc agere, u  
castitate & modestia virgo ornatissim

A 3

